DISSERTATIO INAUGURALIS SISTENS DIAGNOSIM DIARRHOEAE...

Francesco Bennati



DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

DIAGNOSIM DIARRHOEAE

QUAM

PRO SUMMIS HONORIBUS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA OBTINENDIS

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICI JURIS FACIT

ET THESES DEFENDENDAS PROPONIT

FRANCISCUS BENNATI

MANTUANUS

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXXVI



636

CLARISSIMO · VIRO

LVDOVICO · A · TVERKHEIM · LIB · BAR ·

MEDICINAE · DOCTORI

A · CONSILIIS · AVLICIS · AVGVSTI

IN · STVDIORVM · REGIMINE · ADSESSORI

IN · COLLEGIO · MEDICORVM · ET · CHIRVRGORVM · VINDOBON ·

DIRECTORIS · VICE · FVNGENTI

SOCIETATI · MEDICAE · VENET · AGRARIAE · VINDOB .

PHYSICO · MEDICAE · ERLANGEN · ACAD · SCIENT · PATAV ·

ADSCRIPTO

ARCHIGYMNASII · VINDOBONEN · RECTORI · EMERITO

MEDICORVM · STVDIORVM · FAVTORI

ET · AVSPICI · AMPLISSIMO · GENEROSISSIMO

PARVVM · OPVSCVLVM

OBSEQVII ATQVE · EXISTIMATIONIS · ERGO

NVNCVPAT · AVCTOR

BENEVOLO LECTORI.

Legibus Academicis satisfacturus, *diarrhoeam* pro inauguralis dissertationis argumento selegi, quia maximi mihi emolumenti fore existimavi, si de eo morbo agerem, quo tam frequenter homines conflictantur. Ipsum vero jam adgressus opus expertus sum quam arduum sit medico juveni, cui nec ampla, quae ad hocce negotium requiritur eruditio, nec longa experientia praesto sunt, ea proponere quae doctissimis in arte Viris probentur. Et quamvis ampliorem thesim mente revolverim, tamen cum temporis angustiis pressus, tum negotiis domesticis distentus unam diarrhoeae diagnosim rectius considerare existimavi, eaque sedulo colligere, quae expertissimorum Medicorum observationes mihi suppeditarunt, quaeque tam in Vindobonensi Nosocomio quam in clinices schola mihi animadvertere concessum fuit. Num quem proposueram mihi attigerim scopum,

Tibi, lector benevole, dijudicandum relinquo, non aliud abs Te postulans, quam ut laborem dijudicaturus meum, quae tiro in arte ipse expertus es impedimenta, et mihi adversari non obliviscaris. Opera celeberrimorum virorum *Boerhaave, P. Frank, Vogel, Sprengel, Richter, Haase, Raimann* attente consului, et si, ne inutiliter volumen hujus opellae augerem, singulis locis non adnotavi unde hauserim, facile cognoscet quilibet in hisce operibus bene versatus, quid cuique horum doctissimorum Virorum, et quid mihi sit tribuendum. Vale.

PARS PRIMA

DE DIARRHOEA IN GENERE.

1. *Denominatio.* Diarrhoea: (διάῤῥοια, a composito ex διά *per, inter, ex* — et ῥέω *fluo, fundo* — verbo διαῤῥέω *perfluo*, per medium fluo, effluo:) juxta Etymon *perfluvium, effluvium* in genere; apud Medicos vero idem significat, ac fluxus alvi, incontinentia alvi, ventris profluvium, alvus fusa, diarrhoica. Italis: *diarrea, cacajuola:* Germanis: *Durchfall, Bauchfluss, das Laxiren;* Gallis: *devoyement, cours de ventre, flux de ventre, diarrhée;* Anglis: *Loosness, the thoroug-Gonimble Laxily, Lask of the belly, Flux of the belly;* Polonis: *biegunka, laxacya* dicitur.

2. Qui valetudine secunda fruuntur homines plerumque excrementa figurata, mollia tamen, deponere solent. Ast non desunt etiam, quibus habitualis est alvus humidior, non tantum absque detrimento, sed in emolumentum sanitatis, quod *Hippocrates* jam (*Aphor.* 53. Sect. II.) adnotavit monens; juvenes, quibus humida est alvus melius valere iis, qui solidiorem habere solent; alii sunt qui solidiorem semper, et cum salutis integritate exonerant. Non minus quoque pro diversitate individuorum variat consueta de-

positionum frequentia intra determinatum temporis spatium: semel vel bis intra nycthemeron homines sanos faeces abjicere, quotidiana docet experientia; dantur tamen, qui intra plures dies, imo et ultra septimanam vix una vice alvum exonerant, et alii, qui pluries de die idem praestant cum bona valetudine. Miranda sane hujus rei exempla prostant apud Auctores. Sic celeb. Heberden (Commentar. de morbor. historia et curat. pag. 13. et pag. 114.) narrat, hominem omni mense semel, alium per triginta annos quotidie duodecies, et dein per septem annos quotidie septies, et adhuc alium per tres menses omni die vigesies deposuisse alvum, quin eorum sanitas laesa fuerit. Quod sane explicari nequit, nisi idiosyncrasiae ratio quaedam habeatur, et consuetudinis, quae tamquam altera natura a medicis praesertim debet considerari. Neque tamen immodicus alvi fluxus neque constipatio nimia laudanda et desideranda; et in puerorum institutione utrumque esset summopere animadvertendum, ut morbi praecaveri possent, qui ab istiusmodi vitiis oriuntur.

3. *Morbi definitio.* — Est vero diarrhoea: *solito frequentior materiei in intestinis vel visceribus contiguis copiosius secretae, et qualitate peccantis, tum solius, tum cum aliis contentis mixtae, per anum egestio.*

4. *Causa proxima.* — Causa proxima diarrhoeae quaerenda est in copia nimia excretionis alvinae, qua fit, ut haecce excedat. Continuo enim liquores in tubo

intestinali secernuntur, et una simul absorbentur; motus peristalticus tubi ipsius secretioni confert, excretioni, nec non officio vasorum absorbentium; si itaque secretio succi enterici, pancreatici, bilis et muci, praeter naturae leges augetur et qualitate simul vitiatur, aut illorum resorbtio imminuitur, vel si ab ipsa liquorum pravitate aut stimulo peristalticus motus intestinorum augetur, diarrhoea oriatur necesse est. Posita est igitur causa proxima diarrhoeae: *partim in adaucta secretione, et qualitate vitiosa succi enterici, pancreatici, bilis, vel alterius liquidi, partim in accelerato motu peristaltico et proportionatim imminuta resorbtione humorum in intestinis.* (Raimann *Handbuch der speciell. medic. Pathologie und Therapie.* §. 1157.)

Secretio autem excedens humoris cujuscumque supponit statum morbosum organi a quo secernitur. Morbus ille aut ab idiopathica et sympatica irritatione organi secernentis, veluti sunt vasa exhalantia et glandulae, ortum ducit, quae per intestinorum tunicam disseminatae sunt, aut ab earum nimia laxitate. In casu priori saepe adest exaltata activitas totius systhematis, in casu vero posteriori, cum debilitate ejusdem humorum qualitas vitiata observatur. Pari ratione et motus peristaltici excessus, jam ab irritatione, jam ab humorum vitio dependet. Sequitur exinde simul princeps et essentialis diarrhoeae divisio: in diarrhoeam videlicet *activam* et *passivam*.

SYMPTOMATA DIARRHOEAE IN GENERE.

5. Annunciant instantem diarrhoeam symptomata ut plurimum gastrica, veluti sunt anorexia, polydipsia, languor, oppressio ventriculi, vel sensus plenitudinis et pressionis in profundo abdomine, borborygmi; saepe etiam pulsus est irregularis, intermittens; accedit linguae balbuties, tormina vel dolor scindens, lancinans, per vices hanc, vel illam abdominis partem feriens, nausea, vomendi conatibus transitoriis stipata. Horum symptomatum nunc plura, nunc pauciora conjuncta cum peculiari sensatione excernendarum faecum, aegrum de alvo deponendo admonent. Fit tamen interdum, ut absque omni fere praegressa sensatione vel molestia, inscio et invito aegro, alvus ruat.

In alvi evacuatione tormina quandoque excitantur et borborygmi, praecordia anxietate torquentur, sonori flatus evolvuntur; quandoque vero absque his faeces molles, resolutae educuntur quae aegrum ita levant, ut recurrentibus in die iisdem evacuationibus saepe intra paucos dies malo imponatur finis. Alias, morbo increscente, molestiae pro brevi tantum sedantur temporis intervallo, moxque majori cum vehementia redeunt; excrementa magis magisque fluida fiunt, mucosa, serosa, biliosa, quin imo et cruenta, dejectionibus frequentioribus redditis. Major anxietas tunc vexat aegros et inquietudo, abdomen quod tactum medici non sine molestia tollerabat dolet summopere,

turget, expanditur, leviter percussum ab aere contento resonat; rectum intestinum ardore cruciatur; accedit tenesmus, excoriationes, vasorum haemorrhoidalium intumescentia, orificium ani angustius redditur; anus etiam interdum prolabitur, depositiones molestissimae fiunt.

6. Sed et in reliquo organismo, nisi diarrhoea levis fuerit, humorum jactura dignoscitur, et impeditae reproductionis symptomata in aperto sunt pro gradu et duratione diarrhoeae, atque aegri temperamento. Incitato humorum adfluxu ad viscera abdominalia, et praeprimis ad intestina, hosce ad reliqua organa modo antagonistico imminui necesse est: et hinc siccitas oris, sitis valida, urinae parcae, cutis arida, frigida, ulcerum, fonticulorumque secretio imminuta, vel penitus sublata. Increscit virium debilitas, cunctarum functionum languor, praeprimis circuli sanguiferi cum pulsibus concitatis, irregularibus, parvis, debilibus. Consumitur pinguedo, ut qui prius obesi, diuturna aut larga diarrhoea macilenti fiunt; cutis laxa, et rugosa redditur, flaccescunt musculi, crura vacillant; collabitur, pallescit facies. Provecto malo, si non tempestive occurratur, labes reproductionis ulteriora capit incrementa: pedes tument, et vel tabes vel hydrops evolvitur, febris in promptu est, aeger summopere emaciatur, capilli decidunt; quibus succedunt lipothymiae et spasmi praesertim in extremitatibus inferioribus, concussiones musculorum, tremores, vomitus, singultus,

inflammatio intestinorum, gangrena, et tandem mors. Neque hic silentio praeterire possum, tristissima symptomata etiam sub initio morbi quandoque vitam hominum minitari. Anno 1670 diarrhoea Londini grassans plures homines pridie sanos et valde robustos adorta intra duodecim horas eo redigebat, ut jam jam morituri viderentur; et apud Poterium legimus Notarium quemdam ad mortem propemodum perductum fuisse cum per integrum diem supra quadraginta libras materiae serosae ejecerit.

7. Si vero aut solis naturae viribus amota fuerit irritans causa, aut adhibitis simul congruis artis adminiculis diarrhoea in faustam vergit terminationem, singulae evacuationes longioribus distant intervallis, symptomata concomitantia successive numero et intensitate decrescunt, donec tandem penitus evanescant, faeces copia minuuntur, aquosam fluiditatem amittunt, quin immo solidiores sensim sensimque in dies factae, debitis ac ad naturae leges consuetis temporis spatiis deponuntur, atque sic ipsa diarrhoea cessat.

AETIOLOGIA DIARRHOEAE IN GENERE.

8. Quemadmodum ad quemlibet morbum excitandum et aegri status concurrit et causa quaedam veluti accedens, ita etiam ad diarrhoeam producendam causa proëgumena, et causa procatartica seu occasionalis aut excitans requiritur.

9. *Dispositio ad diarrhoeas* habetur in debilitate organorum digestioni inservientium, in summa eorum irritabilitate, atque in quarumdam excretionum consueto defectu, et praeprimis transpirationis cutaneae. Infantes hinc prae ceteris, faeminas et homines quoque debiles, habitu praeditos nervoso ut ajunt, vel laxos, phlegmasia, scrophulis, polyblennia, helmenthiasi adfectos, qui paludosas aut humidas regiones incolunt, diarrhoeis saepe obnoxios esse experientia constat. Familiis dicunt id proprium esse, ut tam mares quam foeminae in diarrhoeas magis pronae sint, eamque dispositionem *hereditariam* nuncupant. Alias vero, homines caeterum sani, ob continuum influxum causarum, de quibus paullo post dicendum est, aut ob praegressos morbos, dispositionem ad diarrhoeas nanciscuntur quam *adquisitam* adpellamus.

CAUSAE OCCASIONALES.

10. Ut causarum occasionalium diarrhoeae, quarum magnus prostat numerus, et quarum aliae epidemice, aliae sporadice, et adhuc aliae utroque modo agunt, faciliorem habeamus conspectum, easdem in *idiopaticas* et *symphaticas*, ad quas etiam antagonisticae spectant, dividimus; utramque vero seriem in causas quae *diarrhoeis activis* et eas quae *passivis* favent, subdividimus.

11. I. Agunt immediate in tubum intestinalem, seu *modo idiopatico* producunt

144

a) *Diarrhoeas activas:* Cibi nimia quantitate assumpti, praeprimis qualitate simul peccantes, multum saliti, acidi, substantiis acribus, irritantibus conditi, inepte combinati; fructus horrei immaturi, acidi, austeri; potulenta justo largius ingurgitata, aut qualitatibus suis simul nociva, prouti aqua frigida, corrupta, particulis salinis, terreis, animalibus aut vegetabilibus resolutis impregnata, vinum, cerevisia etc. non bene fermentata, turbida etc. — Remedia nimis solventia, purgantia, venena acria, inter quae fungi venenati, aut alimenta ac potulenta in vasis cupreis adservata: Succi animales corrupti, degenerati, puta saliva acris sub ptyalismo deglutita, colluvies biliosa in primis viis, succus pancreaticus vel entericus degeneratus, pus, ichor. Spectant huc etiam vermes in intestinis hospitantes.

b) *Diarrhoeas passivas:* Cibi nimis pingues oleosi, fatui, fermentationem acidam facile subeuntes, veluti mel, syrupi, fructus horrei, aciduli largiter assumpti, lac multum pingue, acescens, et similia.

12. II. *Sympathico modo* favent diarrhoeis activis: dentitio, refrigeratio, praesertim subita, artuum inferiorum vel abdominis, inflammatio viscerum quae intestinis adjacent, metastases, catarrhi, rheumatismi, arthritis modo vero *antagonistico:* impedita transpiratio cutanea, suppressa exanthemata, impetigines omnis generis, ulcera, sudores, salivatio, secretio lactis, fluxus hemorrhoidalis, catamenialis, oedemata chronica etc.

Passivas autem *diarrhoeas* causant: terror, timor, anxietas, tristitia, nostalgia, et similes animi adfectus deprimentes.

13. Frequentissime tandem diarrhoea *symptoma morborum aliorum est*. Solet vero plerumque esse activa in chronica inflammatione, suppuratione, exulceratione intestinorum, hepatis, pancreatis, glandularum meseraicarum etc., passiva autem in omni febri characteris nervosi, putridi, in stadio ultimo phthyseos, scorbuti, chloroseos, et aliorum morborum.

DIVISIO DIARRHOEAE.

14. Divisio diarrhoeae princeps, utpote omnes alias comprehendens, et therapiam praecipue dirigens, est in diarrhoeam *activam* et *passivam* (4).

Proximam post hancce vindicat sibi dignitatem divisio superstructa diversitati materierum per alvum excretarum, et causarum. Non me latet alio atque alio modo diarrhoeae divisionem a medicis propositam fuisse: arridet mihi vero potissimum clariss. Viri Jo. Raimann a Consiliis Augusti et in Vindobonensi Universitate Clinices expertissimi Praeceptoris doctrina, qui novem statuit esse potissimas diarrhoeae varietates, videlicet.

A) Diarrhoea stercorosa s. saburralis.

B) Diarrh. biliosa.

C) Diarrh. mucosa.

D) Diarrh. verminosa.

E) Diarrh. serosa.

F) Diarrh. cruenta.

G) Diarrh. puriformis.

H) Diarrh. ichorosa.

I) Lienteria.

Distinguitur porro diarrhoea in essentialem, symptomaticam et criticam, in salutiferam et nocivam, in febrilem et afebrilem, acutam et chronicam s. habitualem, idiopathicam et sympathicam, in sporadicam, et epidemicam, simplicem et compositam aut complicatam. Distinctio vero istiusmodi semper charactere aliquo stipatur, quem praesefert diarrhoea, ita ut si sporadicam aut complicatam diarrhoeam curare velis, illud in primis tibi erit considerandum an verminosa vel biliosa sit appellanda.

15. Quae superius (3-13) protuli diagnosim diarrhoeae in genere quidem exhibent: singulae tamen species (14) symptomata quaedam sibi tantum propria offerunt, quibus a reliquis distinguuntur. Ex ordine igitur erit ut perbreviter singularum percurramus notas characteristicas.

PARS ALTERA

DE DIARRHOEA IN SPECIE.

A) *Diarrhoea stercorosa.*

16. Diarrhoeam stercorosam s. saburralem, cui errores diaetetici et collectae in ventriculo atque in intestinis saburrae (11) occasionem praebent, consueta produnt symptomata gastrica, prouti sensus oppressionis, plenitudinis, gravitatis in ventriculo, inflatio, tensio epigastrii et reliqui abdominis, sapor ingratus, lingua spurca, anorexia, nausea, aversatio ciborum omnium, praeprimis carnium, ructus, praesertim nidorosi, vomituritiones, vomitus ciborum necdum subactorum, borborygmi, secessus flatuum faetentium, hepar sulphuris redolentium, tormina, dolores circa umbilicum vagi, lancinantes, per vices recurrentes etc. Postquam ex his symptomatibus plura, vel pauciora, vel omnia, breviori aut longiori tempore praegressa fuerint, subsequuntur tandem evacuationes copiosae faecum quae nunc pultaceam nunc liquidam formam exhibent, et foetidissimae sunt, et reliquias ciborum non digestorum, sed potius corruptorum continent cum muco, sero commixtas, cum ani ardore, excoriatione, dolore. Confirmat diagnosim cognita causa occasionalis ex praegressis circumstantiis, nempe epulis, nuptiis, crapulis eruenda.

652.

Breviter coeterum plerumque durat haec diarrhoea, nisi diaeta et regimen incongruum fuerit, ipsa sibi medens, eliminando materias nocivas, facile denuo revocanda.

B) *Diarrhoea biliosa.*

17. Diarrhoea biliosa exsuscitatur a bilis stimulo nimia quantitate secretae et qualitate simul peccantis in intestinum duodenum effusae, indeque deorsum promotae. Symptoma febris biliosae eamdem plerumque habet originem, iisdemque ut plurimum insignitur symptomatibus, quorum praecipua sunt: sensus anxietatis, et plenitudinis in epigastrio, tormina vehementia, dolores scindentes in abdomine, vividi, colici, borborygmi cum secessu flatuum foetidissimorum, dejectiones frequentes, rapidae excrementorum biliosorum, flavescentium, et viridiscentium, quae quantitate tamen variant, cum ani ardore, tenesmo; quo acrior est bilis degeneratio, eo violentior in intestinis ejus effectus.

18. Non quaelibet tamen diarrhoica evacuatio materiei viridescentis, bili abundanti vel acri adscribenda est. Acidum primarum viarum praesertim in infantibus lacte nutritis, ob languorem ventriculi: status hystericus, et hypochondriacus: adfectiones cerebri et nervorum: periodus dentitionis, nec non remedia quaedam, ex. gr. calomel, viridem bili in intestina debita quantitate jam effusae per se conciliant colorem, quin adfectionis hepatis, vel vitiatae in illo secretionis, ullum

adsit vestigium. Ut igitur firma habeatur diagnosis, probe est ponderanda dispositio aegri ad adfectiones hepatis, causae occasionales, constitutio epidemica, complicatio, prae ceteris autem symptomata biliosi morbi, quae diarrhoeam vel praecessere vel comitantur, quorum expositionem non huc spectare censeo.

C) *Diarrhoea mucosa.*

19. Quum mucus in alvi excretionibus frequentioribus et liquidis abundat, diarrhoea mucosa s. pituitosa audit. Membrana videlicet intestina intus obvestiens, villosa dicta, vera cutis externae ad interiora propago ad instar aliarum membranarum mucosarum, folliculis scatet copiosissimis, humorem lentum, spissum secernentibus, qui viae alimentorum lubricandae et obungendae destinatus est. — Contingit vero, praesertim iis, quibus digestio languet et sanguis haud probe paratur, vel quibus segnities et debilitas universalis inest, ut accedente causa quadam occasionali, puta refrigeratione, deprimente aliquo animi adfectu, sanguinis vel spermatis jactura, erroribus diaeteticis etc., major humorum copia ad intestina feratur. Ab eo stimulo muci secretio adaugetur, qui et ipse, qualitate simul peccans intestina irritat, atque ita gignit diarrhoeam. Sed optimae etiam constitutionis homines, si diarrhoea, quaecumque demum ea sit, aut dysenteria diu vexati fuerint, ob inductam laxitatem intestinorum, humorumque adfluxum habitualem, vel etiam ob adauctam

sub irritatione in tunica villosa pituitae secretionem, diarrhoeae mucosae obnoxii fieri possunt.

20. Indicant autem hancce in casibus plerisque symptomata sequentia: lingua muco crasso obducta, larga pituitae in cavo oris et faucibus secretio; sapor fatuus, anorexia, dyspepsia cum ructibus faetentibus, sensus plenitudinis, inflatio et tensio ingrata in regione ventriculi, ipsae denique dejectiones, nunc rariores, nunc frequentiores, sub chronica mali duratione saepe cum alvi obstructione alternantes, muci aut sinceri et limpidi, aut diversis substantiis intermixti, vario modo colorati, subalbidi, grisei, flavescentis, viridescentis, striis sanguineis notati, alias faetidissimi, tenuioris, tenacis, largi, parci, mitis, acris cum vel absque ani ardore, tenesmo. — Ab initio singulae evacuationes levamen momentaneum adferre solent, quod tamen malo inveterato locum non habet, ob humorum jacturam (6), quae universum organismum perturbat. Decursus caeterum diarrhoeae hujus acutus esse potest aut chronicus, in menses imo et annos protractus. In cadaveribus eorum qui hoc morbo laborarunt Peyerianae intestinorum glandulae mole insigniter auctae in oculos incurrunt; cujus rei singulare exemplum prostat in museo anatomico Archigymnasii Patavini.

D) *Diarrhoea verminosa.*

21. Diarrhoea verminosa, infantes prae adultis, epidemice nonnumquam infestat. — Symptomatibus

status pituitosi (20), ea adduntur, quae vermes excitant in intestinis nidulantes: abdomen tumens et durum, deficiens reliqui corporis nutritio, dolores punctorii rodentes, praesertim circa umbilicum, saepius ex inopinato recurrentes, nausea et vomituritiones, immo et ipse vomitus materiei serosae, mucosae, horis praecipue matutinis, appetitus nunc prostratus, nunc excedens, lingua spurca, larga salivae secretio, anima jejuno imprimis ventriculo foetens, pupilla multum dilatata, intumescentia nasi et labii superioris cum pruritu in naribus, et similibus; dejectiones alvinae mucosae sunt, gelatinosae, specifice olentes, sanguine interdum striatae, cum quibus vermes, consuetim ascarides lumbricoides, vel oxyurides vermiculares, vel utrique, vivi aut mortui, plus minus corrupti, dissoluti secedunt. Neque tamen hominibus adultis, utpote haud raro helmintiasi laborantibus, haecce diarrhoea prorsus aliena est.

E) *Diarrhoea serosa.*

22. Diarrhoea serosa (rheumatica, catarrhalis) a qualitate excrementorum quae tenuia sunt, aquosa, vix colorata, nomen obtinuit.

Quidquid diminuta cutis perspiratione, vel alia secretione (12) modo antagonistico, tunicam internam irritat intestinorum, et actionem vasorum exhalantium in hisce adauget, huic diarrhoeae ansam praebet. Causae istiusmodi esse possunt subitae pedum et abdominis refrigerationes, aer humidus et frigidus simul, potus

et cibi glaciati, corpore in primis exaestuante assumpti, quemadmodum excretionis cujusdam suppressio uti salivae, impetiginum, ulcerum inveteratorum, sudoris in aliqua corporis parte, lactis in mammis secreti et similium, purgantia drastica, remedia acria etc.

23. Si pedum vel abdominis refrigeratio causam sistit diarrhoeae occasionalem, leves persaepe adfectiones catarrhales et rheumaticae hance praenuntiant, veluti sunt coryza, tussis, odontalgia, dolores tensivi, lancinantes in artubus.

Instante autem diarrhoea, symptomatibus catarrhalibus et rheumaticis alia adduntur quae abdominis perturbationem indicant, videlicet sensus plenitudinis, tensionis, inflatio, sensibilitas exaltata, dolores scindentes, lancinantes, constringentes, spasmodici; associatur nausea, vomituritio, fallax flatuum exclusionem urgentium sensatio, cita et vehemens alvum deponendi necessitas et tandem evacuationes frequentes, impetuosae, quae ab initio faeces exhibent paucas solutas, serius vero laticem aquosum, serosum, tenuem, consuetim decolorem, parum foetentem, cum acoris vel ardoris ad anum sensu. Quo frequentiores autem et largiores sunt evacuationes, eo citius supra (6) memoratae sequelae quae humorum jacturam consequuntur in conspectum veniunt. Clarissimus Morgagnus (*De sed. et caus. morb.* Epist. XXXI. §. 9.) historiam scripsit diarrhoeae aquosae, quam ipse fuerat expertus, perbrevem sane, et domestico latinae linguae nitore elegantem.

24. Huc etiam a celeberrimo Haase (*Ueber die Erkentniss der chronischen Krankeiten.* III. Band. §. 185.) refertur diarrhoea a dentitione, et diarrhoea ab arthritide retrogressa.

25. Diarrhoea saepe infantes afficit dentitionis periodo, consuetis hujusce periodi symptomatibus, tumore, rubore, calore, pruritu, adaucta gingivarum sensibilitate, larga salivae secretione, congestionibus ad caput majoribus minoribusve, sensibilitatis et irritabilitatis augmento in universo organismo, et in specie in tubo intestinali. Excreta per anum viridi nonnumquam tinguntur colore, et haud raro propter processum aetatis proprium, omnia systemata mutationes subeunt peculiares. Non tamen omnis diarrhoea sub dentitione ex hacce, utpote causa promanat; *diarrhoeam igitur a dentitione*, et *diarrhoeam sub dentitione* ab aliis causis occasionalibus, erroribus diaeteticis, regimine perverso et similibus excitatam, distinguendam esse per se intelligitur. Diarrhoea a dentitione ubi certos limites non transgreditur et nullae aliae subsunt causae, dentium proruptionem consuetim facilitat, febrim et congestiones ad caput minuit, et nequaquam obstat, quominus infans bene valeat. Si vero in infantibus sub dentitione diarrhoea excedit, vel cum aliis morbis complicatur, facile noxia imo et lethalis evadere potest.

26. Diarrhoea ab arthritide retrogressa locum habet cum turbata hujusce crisi ad partes externas per

refrigerationem, vel per abusum remediorum purgantium, facta metastasi, elementum, ut ita dicam, morbi ad intestina transgreditur.

F) *Diarrhoea cruenta.*

27. In diarrhoea cruenta (sanguinea) sanguis nunc fluidus, nunc coactus, floridus vel ater, solus vel faecibus aut humoribus aliis majori minorive quantitate admixtus, cum vel absque doloribus, per anum excernitur.

Pro diversitate fontis, unde sanguis scaturit, individui, et causarum excitantium, variant symptomata concomitantia, diversaque diarrhoeae huic tribuuntur nomina.

Infantes neonati, ubi cum lacte nutricis sanguinem ex laesis papillis mammarum simul deglutiunt, absque signis persaepe dolorum aut valetudinis turbatae, sanguinem identidem alvo deijciunt; alias vero, ubi sanguis ex vasis intestinorum a quacumque demum causa provenit, saepius evacuatur cum doloribus, spasmis, nutritionis decremento, virium jactura (diarrhoea sanguinea neonatorum).

Contingit saepe in hominibus haemorrhoidibus obnoxiis, ut sanguis ex vasis haemorrhoidalibus in superiori parte intestini recti secretus aut excrementis commixtus, aut solus excernatur; (diarrh. sanguin. haemorrhoidalis); quo in casu, ut recta habeatur diagnosis, ad individui in haemorrhoides proclivitatem, ad

causas excitantes, ad molimina haemorrhoidalia praegressa, nec non ad levamen evacuationes consecutum, attendere oportet.

Suppressis se et excretionibus aliis cruentis, naturalibus vel morbosis, insuetis vel habitualibus, veluti fluxu haemorrhoidum, catameniorum, lochiorum etc., accidit interdum, ut secretio vicaria aut metastatica ex vasis intestinorum contingat (diarr. sanguinea vicaria metastatica) quo in casu proba causarum consideratio quae diarrhoeae originem praebuerunt facem medico praefert.

Qui haematemesi, melaena, scorbuto, morbo maculoso haemorrhagico Werlhofii, aut quocumque alio laborant cum debilitate universali, vel atonia vasorum sanguiferorum quae per stomachum aut intestina disseminantur, et cum sanguinis resolutione incedente (diarrh. sanguin. colliquativa), sanguinem etiam haud raro cum alvo evacuant; et tunc consideratio symptomatum, quae cuilibet ex indicatis morbis propria sunt, causarum occasionalium, effectuum qui a diarrhoea promanarunt, et remediorum, quae in usum venerunt ad firmam ducit morbi cognitionem.

Sed et influxus epidemiorum, et potentia quaedam tubum intestinalem multum irritans, indole sua chemica, acri, caustica, aut mechanica laedens, diarrhoeam sanguineam excitare valet, ex symptomatibus propriis adfectionis vehementis vel topicae, vel universalis simul cognoscendam.

G) *Diarrhoea puriformis.*

28. Diarrhoea puriformis (diarrhoea lactea, chylosa, fluxus caeliacus) consistit in plus minusve frequentibus, consuetim tenesmoideis et cum ardore ad anum conjunctis evacuationibus alvinis, materiei, nunc albae, chylo (unde ineptum diarrhoeae chilosae nomen) vel cremori lactis similis, nunc flavae aut griseae, mucosae, gelatinosae, puriformis, sanguine hinc inde striatae, nullo, vel specifico odore praeditae. Quae dejectiones de repente aegros urgent ad alvum deponendum (Richter). Etsi adpetitus vigeat et digestio utcumque bene procedat, tamen aegri habitum adquirunt cachaecticum, et in febrim serius incidunt lentam cum pedum oedemate.

Cum qualitates excrementorum tum in diversis, tum in iisdem individuis at diversis morbi periodis summopere varient, et status ipse morbi ita commutetur, ut vel diarrhoeam mucosam aemuletur, vel hoemorhoides albas, lienteriam, diarrhoeam ichorosam etc., nil mirum est auctores tam in descriptionibus hujus morbi, quam in interpretanda illius natura adeo differre. Consentiunt tamen nonnulli ex recentioribus celeberrimis, subesse huic diarrhoeae mutatam secretionem eorum humorum qui tubi intestinalis proprii sunt seu ob debilitatem, laxitatem et passivas congestiones viscerum abdominalium, seu ob chronicam inflammationem glandularum mesaraicarum, post arthri-

tidem, scrophulas, molimina haemorrhoidalia, metastases lacteas, et post suppressas impetigines. Plura addere de morbo caeteroquin raro, nec a nobis viso angustiae dissertationis vetant.

H) *Diarrhoea ichorosa.*

29. Diarrhoea ichorosa (fluxus hepaticus) distinguitur ab aliis diarrhoeae speciebus fluxu ut plurimum non frequenti materiei seroso-cruentae quae loturae carnium recentium similis est, plus minus saniosa, ichorosa, sanguini, et bili interdum mixta; morbo tamen diutius perstante spissior fit, obscurior, nigricans, foetens, acris, cum ani torminibus. Symptomata huncce morbum concomitantia variant pro diversitate causarum excitantium, idiosynchrasiae aegri, et durationis ipsius profluvii. Diarrhoeam hanc fluxum hepaticum quondam dixerunt Medici, at quamquam certum sit, hepate suppuratione vel ulcere affecto, tum per ductum choledochum, tum per aperturas in intestinis cum hepate per processum inflammatorium concretis recens factas, pus vel ichor in cavum intestinorum effundi, atque diarrhoeam nominatam excitari posse; non tamen descripta materies ab hepate tamquam ab unico fonte dimanat; verum et varicosae dilatationes vasorum intestinalium, praeprimis haemorrhoidalium, abscessus et ulcera in tubo intestinali, in splene, pancreate, renibus, utero, mesenterio etc. pus vel saniem intestinis ipsis non raro suppeditarunt, cum

videlicet abscessus et ulcera intestinorum tunicis morbose adhaerebant; nec neganda est depositio metastatica materiei ipsius in intestinis, cum organa alia quamvis remota suppuratione, sive benigna, sive maligna, affliguntur. Patet igitur morbum aliam atque aliam offerre formam, ex symptomatibus atque reliquis praegressae inflammationis signis vel suppurationis in memoratis organis satis cognoscendam, quorum vero expositio ad rem nostram non pertinet.

I) *Lienteria.*

30. Evacuatio citissima ciborum et potulentorum vix, vel nihil mutatorum per alvum ob nimiam irritabilitatem et acceleratum motum peristalticum ventriculi et intestinorum, lienteria audit. Censebatur olim causam proximam hujus morbi esse laxitatem ventriculi et vapidam succorum digerentium naturam. Verum cl. Leopoldus Caldanius in suis Institutionibus Pathologicis (§. 433.) primus veterum errorem emendavit.

31. Incipit morbus hicce cum polyorexia plerumque, bulimia, nonnunquam cum vera fame canina, serius in anorexiam consuetim transeunte. Tumet epigastrium, adest sensus oppressionis, frigoris et vacuitatis, vel e contra pleni ventriculi, inflatur reliquum abdomen, borborygmi et alia symptomata diarrhoeae in promptu sunt. Haec praeprimis mox ab assumptis cibis et potulentis observantur, quae doloribus in abdo-

mine, brevissimo temporis intervallo recurrentibus saepe post pauca minuta, sub morbi initio parum mutata, hoc vero provecto plane indigesta secedunt, bili nonnunquam intermixta, muco, et sanguini, sub altiori morbi gradu degenerato, decolori vel plane nigro foetido. Urinarum secretio minuitur, earum excretio dolores excitat, et ni morbus compescatur accedit tabes, febris hectica, aphtae eaque cuncta mala, quae a nimia humorum jactura (6) expectari possunt. Lienteria quandoque symptoma est semper pertimescendum in ascite, phthysi, variolis, morbillis et aliis exanthematibus, in scorbuto, febri putrida, hypochondria, hysteria.

664

LITERATURA.

Lambsma ventris fluxus multiplex ex antiquis et recentiorum monumentis propositus etc. Edit. I. Amstelod. 1756. 8. Edit. altera Frcf. et Lips. 1792.

v. *Swieten*. Comment. in H. Boerhaavii Aphorism. Tom. II. p. 311. sq.

Th. Sydenham. Opusc. Lips. 1711. 8.

J. B. Morgagni. De sede et caus. morb. Epist. 31.

A. de Haen. Praelect. in H. Boerhaave Instit. pathol. et de Wasseberg. Tom. III. pag. 126. sq.

Cockburn. Cure of Loosnesses. Lond. 1721. 8.

I. G. Baldinger von den Krankheiten einer armee etc. Langens 1774. 8. p. 338. sq.

I. B. Bianchi. Hist. hepat. Tom. I. p. 531. sq. Genev. 1725. 4.

Max. Stoll. Praelect. in divers. morb. chron. Tom. II. Vienn. 1789. 8.

J. P. Frank. De curand. hom. morb. Epitom. Manhem. 1797. Lib. V. P. II. p. 447. sq.

F. W. Nadel. Neue Bemerkungen über die diarrhoea. Magdeburg 1806. 8.

Kurt. Sprengels. Handbuch der Pathologie III. Theil. Wien (Nachdruch) 1811. p. 80. sq.

J. G. Vogel. Handbuch der pract. Arzneywissenschaft zum Gebrauche für angehende Aerzte 6.ter Theil Stendal 1816. Seit 1-99.

W. A. Haase. Ueber die Erkenntniss und cur der chronischen Krankheiten etc. III. Band p. 178. sq. Leipzig 1820.

A. G. Richter. Spec. Therapie nach dessen hinterlassen Papieren herausgegeben von G. A. Richter. Berlin 1813-1821. 8.

Joh. Nep. Raimann. Handbuch der spec. med. Pathologie und Therapie II. Band. Wien p. 440-452.

THESES DEFENDENDAE.

I. Existit vis naturae medicatrix, nec ea tamen superfluam reddit medicinam.

II. Naturae consentaneum est, ut mater, quam genuit lactet prolem.

III. Quae inter corpora viva et mortua statuitur oppositio, falsa est.

IV. In Medicum confidentia aegri altum tenet in Pharmacologia locum.

V. Datur vagitus uterinus.

VI. Therapia medicorum homoepathicorum fundamento rationali destituta.

VII. Typus morborum ex generalibus naturae legibus sufficienter explicatur.

VIII. Vis vitalis efficientia electrica longe est superior.

IX. Non omnis nervorum adfectio statim ad nevroses referenda.

X. Essentia anginae membranaceae in inflammatione tracheae consistit.

XI. Contagia proprie dicta, facultate prorsus irritativa pollent; et morbi qui ab iis producuntur hypersthenici vel hyposthenici nullo modo vocari possunt.

XII. Symptomata singula fallacia morbi indicia.
